UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvvm Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisqve Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

Admodvm Illvstri Ecclesiae Anglicanae Clero Vniverso Gloriosis Christi Confessoribus, Martyribus designatis, ac Dominis in Christo obseruandiss. D. Gregorius Anglus, Ord. D. Benedicti Monachus ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13883

Visual Library

ADMODVM ILLVSTRI

ECCLESIÆ ANGLICANÆ

CLERO VNIVERSO

Glorioſis Chriſti Confeſſoribus, Martyribus deſignatis, ac Dominis in Chriſto obſeruandiſs.

D. Gregorius Anglus, Ord. D. Benedicti Monachus Caſinas perpetuam ſalutem.

CELEBRE *eſt illud, & prudentum uſu frequentatum; Naues quidem nouas Diuis Tutelaribus dicare, Libros verò nouos viris nuncupare Principibus oportere. Ita enim opportuna rebus quæri ſolent auxilia; Cùm mari, ventiſque ſola Numina præſideant; inuidiæ verò fluctus Principum auctoritate facilè infringantur. Quod ſi ita eſt & magnorum virorum amplitudo neceſſaria eſt, quo ſcriptor tutus prodeat quænam mihi Maieſtas auguſtior quàm* Regale Sacerdotium? *Quod veſtrum eſt (Glorioſi Confeſſores) non communi ſolum iure Chriſtianæ hæreditatis, ſed ſanctiori etiam gloria Sacramenti celſioris, Cœlo Soloq; verendi. Enimuero, vos ex illis eſtis, qui* a Neque ſumunt ſibi honorem, vt Pontifices fiant; *Neque* b Accipiunt in vanitate ciuitates ſuas, *vt* c fratribus ſuis dominentur; *ſed quos* d in die virtutis ſuæ, in ſplendoribus Sanctorum, *Deus ipſe & eligit ſibi Sacerdotes, &* e conſtituit *quaſi* Principes ſuper omnem terram, *adeò admirabiles, vt Propheta etſi Rex ſtupore tam inſolitæ Maieſtatis de vobis quaſi inconditè exclamarit,* f Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum; *cùm tamen de ſeipſo dixerit:* g Ego vero egenus, & pauper ſum. *Quo expertus, imperitis ſignificare voluit humi iacere mundanam altitudinem, & principatum ſi illi conferatur, de quo dicitur,* h Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

Quibus ſatis pro re æſtimatis puto me probaſſe conſilium meum, ſi cum tutus à calumnijs eſſe velim, in Regalis Sacerdotij veſtri clientelam me receperim. Quapropter cùm ſuperiori æſtate Lucubrationes in Sancta Eccleſiæ Sacramenta, i frugũ mearum primitias Domino conſecrandas, *iuxta legis veteris præſcriptum, Sanctæ Eccleſiæ (quæ iam militat) Catholicæ Petro &* k *Cephæ, Summo Sacerdoti, Clementi VIII. deuotè obtulerim cuiuſnam, poſt illum potior ratio habenda fuit, quàm fratrum, ac cõciuium meorum,* Sanctiſſimi *nimirum* Cleri Anglicani? *In quo ſanè clero ſoli ſunt Sacerdotes, ipſiq; vniuerſi* Quos retinens mundus inhorruit, *actu Confeſſores, Martyres deſignatione. Etenim Clerus veſter, ob egregia Spiritus Sancti chariſmata (quibus inuidere impium eſt) ob virtutes heroicas, & verè Sacerdotales, tantum prælucet vulgo Clericorum quantum Chriſtianorum vulgo multi Sacerdotum. Plerique enim Sacerdotes diuino quidem iure viuentes,* m ex altari viuunt, *vos ad diuinam charitatem proximè accedentes, pro altaris ac Sacerdotij defenſione vitam propriam exponitis. Plerique Sacerdotes propter Chriſtum in ſumma Reipublicæ luce viuunt auctoritate pollent, honoribus illuſtrantur, vos verò quamuis Nobilitate clari, inſignes eruditione, patrimonioque locupletes, obſcuri tamen,* n ignobiles, *inopes, infames,* omnium *denique ciuium veſtrorum* peripſema o ob Chriſtum, & anathema eſtis, *poſtquam in chariſſima patria noſtra Catholica fides cœpta eſt haberi flagitium, Sacerdotium ſcelus, & publicum crimen, eſſe* Chriſtum Domini. *Sic (proh dolor) Principibus ſuis peſſimè illudunt hæretici: ſic Myſtagogæ Caluiniani hæreſim ſuam quam deprehenſam & falſi cõuictam vident ſemel inuectam grauiter retinendam ſuadent, etſi non veri interpretem, vtilem tamen (vt aiunt) Status. Ac ſi quod falſo nititur firmum eſſe poſſit: aut qui fidem auitam, per mille annos à tot potentiſſimis & prudentiſſimis Regibus profeſſam & defenſam, ceruicibus obiectis conſtanter propugnant, huic iam regnanti Sereniſſimo Principi, aliquando futuri ſint aut eſſe poſſint infideles: Et qui fidem Deo datam impiè fregerũt, tutam hominibus præſtant ſecuritatem. Aut ſi inter omnes totius orbis Catholicos, ſoli Angli ita inſanirent, vt Maieſtas Patriæ, & ſplendor ille priſcus Anglicani nominis & Imperij ipſis diſpliceret, mallentque, quàm Regibus fideles eſſe ſuis, exteram dominantem ſequi. Sed reprimam me, ne amoris æſtus patriæ amantem abripiat extra oras inſtitutæ orationis. Hæc enim ſatius eſt (quod ſoleo) intus in ſilentio deflere apud Deum,* o (in cuius manus eſt cor Regis) *obſecrareque per omnem Ieſu Chriſti charitatem vt illa ſuggerat & immittat in ea conſilia, quæ & nunc, & tunc Principem populumque iuuabunt, cum* p dies formabuntur, & nemo in eis.

Vos interim felices (Chriſti milites) quibus ferè ſolis datum eſt, q non ſolum vt in Chriſtum credatis, ſed etiam vt pro Chriſto *extrema quæque patiamini; vt meritò mirentur vniuerſi vndenã in ſolis ferè Anglis tantus fidei ardor inſit, tam inuictus in veritate aſſerenda animus? Et cum vbique idem Deus, et eadem Eccleſia ſit, quæ paſſim impugnatur erroribus impudenter & impunè graſſantibus, rariſſimus tamen in reliquo orbe (extra inſulas noſtras) reperiatur, qui tanto periculo, probro & profuſione ſanguinis ſui Eccleſiæ Catholicæ pro muro ſit? Profectò* r iudicia Dei abyſſus multa, *& in illis,* ſ ſcrutator maieſtatis *facilè* opprimitur à gloria. *Cæterùm, ſi in re tam difficili ſenſum, & iudicium meũ interponere liceret, quicquid alij ſenſerint, ego certè poſt Diuinum numen,* t A quo omne datum optimum, & omne donum perfectum eſt, deſcendens a patre luminum, *non minimam huius rei laudem, & gloriam inſulæ noſtræ Diuis Tutelaribus & protectoribus, ac in primis Anglorum Apoſtolo Beato Gregorio magno Benedicti Patris incremento aſcribendam eſſe cẽſeo. Nã vt olim* u *Moyſes (Ioſue cum hoſte confligente) non in campum deſcendens, ſed in monte orans vicit Amalechitas; ſic ſpirituales olim Anglus hoſtes, immiſſis in illos* x *SS. Auguſtino, Melito, Laurentio, cũ nonnullis alijs ordinis S. Benedicti Monachis, vita ſanctitate ac doctrina celeberrimis, Gregorius ipſemet etiam eiuſdem ordinis Monachus (vt conſtans totius antiquitatis ſententia eſt) orando non prædicando, Euangeliſtas exhibendo non per ſe ipſe euangelizando vicit: &* y *Anglorum Apoſtolus fuit.* z *Quid dico fuit: imò eſt. Nam quia* a bellum Domini erit contra Amalech, à generatione in generationem, *ideo* b Quouſque mundus iſte voluitur, Gregorij laudabile meritum ſemper accipit incrementum, quia ipſius gratiæ aſcribitur, quod Anglorum Eccleſia noua ſemper ſobole fœcundatur. *Quod meritò canit Eccleſia ante multa ſecula, non tam hiſtoricè dictum, quàm de noſtris temporibus verè prophetatum, vt quotidiano tenemus experimento diuinæ bonitatis. Nam etſi iam ante annos ſexaginta, infœlix Anglia * Abbatibus, & Monachis partim Martyrio affectis, partim miſerè expulſis, monaſteria omnia vel funditus diruerit, vel hæreticis poſſidenda conceſſerit, & Clero Catholico bellum cruentiſſimum indixerit, Gregorio tamen iterum Angliam parturient,* c donec reformetur in ea Chriſtus *et clerus Anglicanus numero non infrequens, momento inæſtimabilis; et Monaſticus ordo Benedictinus ſerie Monachorum nõ interrupta, adhuc Anglis, indies floret, vel in Anglia, & ** carceribus, vel (ſi exules) in clauſtris reformatæ Congregationis; Ne minor ſit Patriarcha Iacob. Gregorius noſter, quin ex femore Euangelico ſemper prodeat, &* c Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu, *&* d *Ioſeph quem meritò* adorent fratres, vt qui paſcet Iſrael in fame.

Quod

a Hebr. 5
b Pſ. 138.
c 1. Pet. 5
d Pſ. 109.
e Pſal. 44
f Pſ. 138
g Pſ. 69.
h Pſ. 109.
i Deut. 26
k Ioan. 1
l Hymn. i feſto plu. Martyrũ.
m 1. Co. 9
n 1. Co. 4
Rom. 9.
o Pſ. 138.
p Pro. 21.
q Phil. 1.
r Pſal. 15.
ſ Prou. 25
t Iacob. 1.
u Exo. 7.
x Beda li. 1. hiſtor. Angl. ca. 23. & ſeq. Poli. Virgil lib. 2.
y Martyrol. Rom. 4. Id. Mar.
z Martyrol. Rom. 4. Id. Mar.
a Exo. 17.
b Breuiar. Monaſt. i feſto Sãc. Gregor.
* Abbates ſex, ſ. Fontanẽſis. Geruienſis, Riuerius Barlighẽſis, Saulẽſis. Vvaliẽſis cũ alijs multis Monachis 1536 propter ſides defẽſionẽ occiſi. Alij tres inſignes Abbates videlicet, R ch. Vitinghus, Glaſconiæ, Hugo Fering donus Redingi, &

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quod ſi veſtris in Anglia certaminibus noſtra corporum præſentia non communicamus, in promotu cauſa eſt, non tam
paucitas Anglorum, qui Monachi ſumus, quam quod operarijs alijs melioribus abundare vos intelligimus, ita vt induſtria
noſtra minimè indigeatis; Alioquin certè a teſtimonium nobis perhibentibus conſcientijs noſtris in Spiritu Sancto,
religioſè affirmamus, nihil acceptius nobis Benedictinis poſſe eſſe iniunctum, quam in aciem fidei mitti, & in campo Catho-
licæ veritatis fortiſſima obedientia exercere. Quid enim (*vt cum inuictiſſimo Martyre* b *in ſimili cauſa dicamus*) optatius
& lætius & poſſit accidere, quam nunc vobis inhærere, vt complecteremini nos manibus illis, quę purę & inno-
centes, & dominicam fidem ſeruantes, ſacrilega obſequia reſpuerunt? Quid iucundius, & ſublimius quam oſculari
nunc ora veſtra, quæ glorioſa voce Dominum confeſſa ſunt, conſpici etiam præſentes oculis veſtris, qui deſpecto
ſeculo, conſpiciendo Deo digni extiterunt? *Imò certè, vt cum eodem loquamur*, c vobiſcum illic in carcere quodam
modo & nos ſumus, diuinæ dignationis hortamenta vobiſcũ ſentire nos credimus, & veſtris cordibus inhæremus.
Honori nos veſtro charitas indiuidua connectit. Separari dilectionem ſpiritus non ſinit. Vos illic confeſſio, nos
affectio concludit. Et nos quidem veſtri diebus ac noctibus memores, & quando in ſacrificijs precem cum plurib.
facimus, & cum in ſeceſſu priuatis precibus oramus, coronis ac laudibus veſtris plenam Domini fauentiã poſtula-
mus. *Hæc eo liberius, quo verius proteſtamur, quod nonnullos, (neſcio quo ſpiritu plenos) eſſe non ſine maximo dolore accepi-*
mus, qui in angulis & latebris obmurmurantes affirmant, Quod Benedictus non amat proximum Ceterum huiuſmodi genus
hominum eorũ calumnias, & iniurias, & in d *Euangelio Chriſtus, & in Euangelica ſua regula* e *glorioſus Pater, et Patriar*
cha Benedictus patienter ſufferre nos docuerunt. Etenim f charitas benigna eſt, patiens eſt; charitas non æmulatur, non
agit perperam, non irritatur, non cogitat malum, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet. *Sciant tamen & intelligant, qui talia*
feruntur dicere, tam aliena eſſe hæc a veritate, quam ipſi a charitate abſunt. Nouimus enim Patres noſtros ita ſolius propriæ
ſalutis anguſtijs non contentos zelo flagraſſe proximorum, vt totus fere orbis occidentalis qua Chriſtianus eſt poſt Apoſto-
los ipſos, S. Benedicto debeat vel ſua in fide primordia, vel feruorem in vitæ ſanctimonia. Et meminimus g quomodo ſalui
facti ſunt Patres noſtri; h Per quos Deus fecit virtutem tãtã in Iſrael; *vt & nos quamuis imperfecti in pari neceſſitatis*
articulo, i clamemus in cęlum, *offerentes ſemper in altari cordis noſtri* ſacrificium Deo, ſpiritum contribulatum.

Nemo autem quietem noſtram otium eſſe putet, aut vacationem noſtram credat eſſe deſidiam, cum prudens quiſque &
expertus facile intelligat, in prælijs ſpiritualib. abſque corporis præſentia magna præſtari. Neque enim k *Aaron & Hur con-*
tra Amalech arma induerunt, nec ocioſi (credo) fuerunt, qui Moyſi in monte aſtantes, ſuſtentabant manus eius ex vtra
que parte; ita, vt cum leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael; ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech.
Et quis ſcit, ſi diuino conſilio ex Anglis quidam, etſi imperfecti ſemper GREGORIO *adſint in monte Monaſticæ perfe-*
ctionis, & imbecilla conantium obſequia perpetuent & impetrent Sancti viri patrocinia, l vt manus ipſius non laſſentur
vſque ad occaſum Solis.

Inter vero dum vos cõminus cum hoſte hæreſi confligitis, nos quoad poſſumus m Ad ſarcinas veſtras ſtamus, *id eſt, totum*
quod viuimus, & poſſumus vobis impartimur. Ego autem in præſen tarum in hoc opere ocia mea veſtris negotijs accommo-
daui. Cum enim in Anglia totus ferè labor in Sacramentis populo adminiſtrandi poſitus ſit; Sacramenta verò vt abſque ſa
crilegio ſint, liberum a cenſuris Miniſtrum poſtulant; vobis præterea longe poſitis fieri vix poteſt, vt in tanta librorum pe-
nuria, ob direptas Catholicorum bibliothecas, in tanta rerum perturbatione, tam incertis ſedibus, fugis inopinatis, rumoribus,
terroribus, carceribus, tormentis fieri, in quam vix poteſt, vt vobis facilè notæ ſint excommunicationes omnes, ſuſpenſiones,
interdicta, & irregularitates, quæ vel in corpore iuris, vel in Extrauagantibus, vel recentioribus Pontificum Bullis hactenus
promulgatæ ſunt, quas vniuerſas in vnum congeſtas, & (quoad potui) fideliter explicatas, vobis hoc ia volumine præſento.
Quod ſi vobis gratum eſſe intellexero, quos iam inchoatos habeo, duos alios Tomos Caſuum Conſcientiæ refertiſſimos (iuuã-
te Deo) perfectos vobis dabo. Hoc enim puto eſſe ad ſarcinas ſtare, *id eſt pro vobis abſens quidem corpore, ſemper autem men-*
te præſens in quibus, & quantum poſſum, laborare; Nec de ſpolijs ſum ſolicitus, cum nouerim Dauidem eſſe diuiſorẽ præmio-
rum, & legem eſſe in Iſrael quod n Æqua pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas. *Et mihi pro*
magno erit, ſi magnis veſtris meritis, mea nouiſſima & minima accenſeantur, etſi non æqualitate beatitudinis, imitatione
tamen charitatis.

Vos autem Glorioſi Confeſſores, Martyres deſignati, fratris ac conciues in Chriſto dilectiſſimi, quod agitis ſatagite, & ex
profligata hæreſi æternos triumphos reportare; & per actus vere Apoſtolicos, per conſilia manſuetudinis efficite, vt o in eo
quod detractant de vobis *hæretici* tanquam malefactoribus, & *hoſtibus publicis*, ex bonis operibus vos conſideran-
tes *tandem intelligant omnes*, p colluctationem veſtram *de rebus terrenis non eſſe*, aut contra carnem & ſanguinem,
ſed aduerſus ſpiritales nequitias in cęleſtibus; *Nec vos tanto anhelitu contendere, quis terram hanc,* q maledictam ter-
ram, ſpinis, & tribulis *ſylueſcentem teneat, ſed veſtro ſanguinis precio tam Principi, quam populo velle coemere illam, quã*
r mites poſſidebunt terram, *probe intelligentes quam depreſſi paluſtres, &* ſ incuruati ſunt mundi colles, (*etſi abiectis*
hominibus alti videantur) ab itineribus æternitatis eius. *Recolite tandem mecum Eccleſiæ Anglicanæ dignitatem,* quam
vt Diui Cypriani verbis in ſimili cauſa vtar t) ſic honor diuinæ dignationis illuminat, quam temporibus noſtris glo-
rioſus Martyrum ſanguinis illuſtrat. Erat ante in operibus fratrum candida, nunc facta eſt in Martyrum cruore
purpurea. Floribus enim nec roſæ, nec lilia deſunt. Certent nunc ſinguli ad vtriuſque honoris ampliſſimam digni-
tates: Accipiant coronas vel de operibus candidas, vel de ſanguine purpureas. In cœleſtibus caſtris & pax, &
acies habent flores ſuos, quibus milites Chriſti ob gloriam coronantur. *Det vobis Deus inuictæ fidei veſtræ de ſuper-*
ba perfidia victoriam, nobiſque veſtræ gloriæ in æterna requie ſocietatem. Valete. Ex Sacro Monaſterio Caſinenſi.

Io. Beci. Colceſt. 1539. ob candé cauſa Mart. coronati
c Gal. 4.
**Io. Feckhanus tpe Reginæ Mariæ Monacorum D. Benedicti Abbas Weſtmonaſterienſis poſtea regnante Elizabetha cum alijs multis eiuſdẽ ord. Monachis in vicula cõiectus, poſt viginti ſex anorum carceres primo Lõdini ĩ caſtro Equitis Martij, deinde in caſtro Vviſbicẽſi cõſtanter tolleratos, an. 1585 preclara confeſſione perfũctus, feliciter requieuit i Domino.
d Ex. 35. & Pſ. 67.
e Exo 37 42. & 50
a Rom. 9
b Cyp. li. 5. ep. 1. alias epiſ. 81.
c Li. 2. epi. 1. alias epiſt. 16.
d Mat. 5.
e Cap. 4.
f 1. Cor. 13.

g 1. Mac. 4. h Iud. 13. i 1. Mac. 4. K Pſal. 50. l Exod. 17. m Exo. 17. n 1. Reg. 30. o 1. Reg. 30 p 1. Pet. 2. q Eph. 6. r Gen. 3. ſ Matth. 5.
t Habac. 3. u Lib 2. epiſt. 6. alias epiſt. 9.

PIO, AC